13
14 bis

THEOREMATA

ILL.MO ET REVER.MO D. D.

IVLIO ANT. SANCTORIO

S. R. E. CARD. AMPLISS.

TOTIVS RELIGIONIS SERVORVM

PROTECTORI DICATA.

32-4-1-3

Quæ ad diſcutiendum proponit Fr. Liberius Blanchinus Romanus Ord. Seruorum, in Bononienſi Gymnaſio Seruorum Baccalaureus Conuentus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Apud Stephanum Paulinum. 1600.
Superiorum Permiſſu.

34-4-I-3

ILLVSTR.MO ET REVER.MO D. D.
IVLIO ANT. SANCTORIO
S. R. E. CARD. AMPLISS.
TOTIVS RELIGIONIS SERVORVM PROTECTORI

F. Liberius Romanus Seruita Felicitatem precatur.

QVOD omnes homines dixerit Plato lucri cupidos eſſe, ſi oſcitanter de lucri illius cupiditate exponatur, quod eſt diuitiarum, id ſanè ſeruiles potius homines, auriq; mancipia efficeret, quàm ingenuos, & ſapientes; rem prorſus philoſophis indignam, exiſtimãtibus præ virtute aurum, & pretioſiſſima quæque vileſcere. Si autem lucri appellatione intelligatur vel ſcientia, vel ſpectati alicuius viri patrocinium, quo alacrius metam ſibi quiſque propoſitam pertingere confidat, ſententiam certè Platonicam mirum in modum comprobandam cenſuerim; quippè qui, ex quo Seruorum Religioni me adſcripſi,

ſcripſi, ſcientiarum lucrum, vbicumque ingenij mei vires ferrent, quas ſentio quàm ſint exiguæ, mihi propoſui, ducemq́; nactus ſum recolendæ memoriæ Mag. Damianum, qui me & iuuit, & ſæpe labentem manu duxit; Cuius quidem memoria, vt ſemper futura eſt iucundiſsima, ita nunc ſternit mihi iter ad tuam amplitudinē, cuius ille, dum viueret, ſtudioſiſsimus extitit. Ad te autem vacuis manibus me proficiſci nefas duxi: quare ſtatui offerre hæc ipſa ſtudiorum meorum iam duodenalium experimenta. Scio ex Platone commemorato, ſumma ſummis, mediocria mediocribus, ima imis conuenire; quamobrem ima hæc mea ſummo Viro oblata minimè conſentanea fore iudicanda. Verùm, quoniam ſublimitas tua benignitati eximiæ copulata conſpicitur, id, quod mei eſt deſiderij, ne deſpicias; optarem enim egregia: ſed, quod eſt facultatis, benignè reſpicias, vt patronus Religionis meæ, ita mei ipſius futurus fautor, & dominus.

Vale.

CON-

CONCLVSIONES EX SACRA THEOLOGIA.

VNIVERSVM genus humanum, a ſuo, ad quem valde propendet, optimo fine recedens peribat, niſi Deus optimúſ maximus, qui cunctis pręſtò eſt, eidem opem ferens, benignam manum præbuiſſet, vt nos ad finem exoptatum perduceret: Quam, vt aſſequamur, doctrinam nobis eſt elargitus, Theologiam nempe a Sacris Auctoribus nuncupatam; cuius vnius præſidio, iuxta legem Dei ordinariam, finem præfixum attingere poſsimus: Eam propterea neceſſariã, omnes Theologi communi conſenſu affirmant; noſq. idipſum defendimus. Cuius neceſsitatem illis verbis egregiè Diuus Paulus oſtendit: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia.

2. Quæ cum cæteris diſciplinis nobilior exiſtat, principemque locum teneat inter omnes, (vtpote cui meritò verba illa ex Prouerbijs accommodantur: *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad Arcem*) eidem ſcientiæ nomen competere minime dubitamus.

3. Quapropter & ſcientiam veram eſſe, quamuis pro iſto ſtatu imperfectam; & vnam, non vnitate generica, nec per aggregationem, (vt dixerunt aliqui) ſed vnitate ſpecifica; non qualibet ſpecie, ſed ſpecie ſpecialiſsima aſſerimus.

4. Agit namque iſta nobiliſsima ſcientia, vel potius ſapientia de Deo ipſo quatenus Deus eſt; de Creaturis autem, vt ad ipſum referuntur: Hinc fit, vt omnia in hac ſcientia contenta, vel in recto, vel in obliquo de Deo prædicentur.

5. Dicimus etiam iſtius ſcientię vnitatem non tollere, quòd de diuerſis obiectis aliarum ſcientiarum tractet; quia omnia conſiderat ſub vnica formali ratione inquantum ſunt diuinitus reuelabilia: Et ad hoc comprobãdum facit auctoritas Diui Pauli ad Galatas: Notum vobis facio Euangeliũ quod Euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem; neque enim ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

6. Quid obeſt, ſi cum doctiſsimis viris dicamus ipſam & eſſe practicam, & ſpeculatiuam? nam hoc prouenit ex ſimplicitate luminis Diuini, ſub quo omnia conſiderantur: Magis autem ſpeculatiuam eſſe quàm practicam ſuſtinemus.

7. Nec abſurdū videri debet, iſtam ſcientiam ſpeculatiuam & practicam alias omnes certitudine vincere; etiam ſi habitus principiorum eius ſit ipſa fides: vnde egregiè dicebat Auguſtinus ad Dominum loquens: Clamaſti de longinquo; Ego ſum qui ſum, & audiui ſicut audiri ſolet in corde, & non erat vnde dubitarem; faciliùs me dubitarem viuere, quàm non eſſe veritatem.

8. Immo & ipſa fides Diuina cùm ſit de æternis, certior eſt Prudētia Arte, Sapientia, Scientia, & Intellectu, quæ omnes ſunt virtutes intellectuales ab Ariſtotele poſitæ.

9. Neque hoc cuiquam mirum eſſe debet, cùm clarum ſit, omnia quæ in hac ſcientia continentur, a Deo ipſo per reuelationem haberi, qui eſt ſumma Veritas, vt ipſe de ſe teſtatus eſt: Ego ſum Via, Veritas, & Vita. Vnde elegantiſsimè dicebat Diuinus ille Plato in ſua Republica: ſi Deus eſt, non mentitur; quia ſi mentitur, iam non eſt Deus.

10. In hac autem ſcientia, veluti in nitidiſsimo ſpeculo, primo intuitu contemplari licet pulcherrimas quaſdam ſententias, quæ mortalium animos oblectant: Inprimis enim inſpicimus, Deum eſſe non eſſe per ſe notum, iuxta illud pſalmographi: Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.

11. Ac proinde vi demonſtrationis Deum oſtendi poſſe tuemur, iuxta Pauli verba: Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

12. Verùm cùm ex effectibus non proportionatis cauſæ, non poſsit haberi perfecta cognitio eiuſdem cauſæ; ideo dicimus, quòd ex effectibus non poſſumus Deum perfectè cognoſcere ſecundum ſuam eſſentiam.

13. Inſuper dicimus, Deum eſſe: ſic ipſe ad Moyſem: Ego ſum qui ſum, dicebat.

14. Hinc facilè colligitur, molis corporeæ Deum expertem eſſe, vt apud Ioannem: Spiritus eſt Deus.

15. Et proptereà nō eſſe concretum ex materia & forma; quia cùm ſit primum bonum per eſſentiam, primumque Agens, nihil in ſe continet potentialitatis.

16. Adeo eſt ſimplex, vt idem ſit quod ſua natura, ſua Deitas, & ſua vita; quod verba illa ipſius met apud Ioannem videntur innuere: Ego ſum via, veritas, & vita.

17. Dei autem eſſe & eſſentia omnino ſunt idem, nullumq; ei ineſt Accidens; forma enim ſimplex (auctore Boetio, libro de Trinitatè) ſubiectum eſſe non poteſt.

18. Non ſolùm ſimpliciſsimum eſſe, ſecluſumque ab omni genere, ſed etiam in compoſitionem aliorū venire nō poſſe ſuſtinemus. Hinc

meritò

merito damnatus fuit quidam Almericus in Concilio Lateranenſi qui ponebat Deum principium formale omnium rerum.

19. Hæc, & alia quamplurima Deo vltimo noſtro fini accõmodantur, quæ nunc miſſa facientes, paucis perſtringamus quicquid ad ipſius ſcientiam potiſsimùm ſpectat. Eſt ergo in Deo ſcientia, quod nemo ſanæ mentis hucuſque eſt inficiatus, tametſi de modo dubitauerit. Scientiæ huius amplitudinem admirabatur Vas electionis, dicens: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.

20. Qua quidem ſolus Deus ſe per ſemet ipſum cognoſcit; dicente Apoſtolo: quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei.

21. Eiuſdemque tanta eſt præſtantia, vt non ſolum per eam Deus ſeipſum cognoſcat, verùm etiam comprehendat; nam qui intelligit ſe perfectiſsimo modo, etiam ſeipſum comprehendit: dicebat Diuus Auguſtinus.

22. Non eſt tamen idem prorſus ſentiendum de Dei ſcientia, & noſtra; etenim noſtra veluti accidens intellectui inhæret; Dei verò eſt eius ſubſtantia: Ita docent cum Philoſopho omnes Theologi. Pulchrè inquit Auguſtinus: Dei hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe; hoc autem eſt ſapientem eſſe, quod intelligere.

23. Rurſus per eam Deus non ſolùm ſe, ſed alia etiã a ſe cognoſcit: omnia enim nuda ſunt & aperta oculis eius.

24. Conſequenter dicimus cum eius cognitio ad res, ſicut cognitio artis ad ipſa artificiata comparetur, igitur ſicut ordini artis artificiata ſubduntur, ita omnia entia ordini diuino; quod eſt diuinæ prouidentiæ ſubijci. Vnde dicebat pſalmiſta. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis Coruorum in tempore ſuo. Huic ſubſcribit D. Plato de leg. & alibi.

25. Cui diuinæ prouidentiæ omnia, non ſolũ in vniuerſali, ſed etiam in particulari ſubijciuntur. Valeant aduerſarij nolentes audire Dominum noſtrum dicentem. Et capillus de capite veſtro non peribit.

26. Rebus tamen omnibus, etſi immediatè Deus prouideat teſte Iob: Quem conſtituit alium ſuper terram, &c. Prouidentiam tamẽ ipſam vllam imponere neceſſitatẽ negamus: nam corrumpere naturam non eſt diuinæ prouidentiæ dicebat D. Dionyſius, & clarum eſt in ipſa natura multa contingentia reperiri.

27. Et hæc omnia prouiſa, quia cognita, nõ in ſeipſis a Deo cognoſcuntur, ſed in ipſamet; viget ratio, quia Deus ſeipſum in ſeipſo videt, per ipſammet propriam eſſentiam.

28. Inſuper cùm ſolis luce clarius ſit; eſſentiam ipſius Dei in ſe cõtinere quicquid perfectionis eſt in quocunque, & amplius: Hinc neceſſariò ſequitur, Deum ſe cognoſcendo, omnia diſtinctè, cognitione propria, & perfecta cognoſcere. Hinc ſapientiſſimè Apoſtolus: ſermo

mo (inquit) Dei pertingit vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ.
29. Atque iſtam Diuinam ſcientiam omnis diſcurſus prorſus dicimus eſſe expertem; quam infallibilem veritatem nemo ratione prędi tus auſit negare; eamque pulcherrimè ſic Diuus Auguſtinus expreſsit: Deus non particulatim, vel ſigillatim omnia videt, velut alternante conſpectu hinc illud, inde huc, ſed omnia videt ſimul.
30. Neque perperam docent Theologi, Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum; ita enim indicare videtur Auguſtinus, ſic ſcribens: Vniuerſas creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo nouit Deus; ſed ideo ſunt, quia nouit.
31. Eſt omnium cauſa, in quantum ei adiungitur diuina voluntas. Quomodo poſſet aliquis permanere niſi tu voluiſſes? dicebat ſapiēs.
32. De qua diuina voluntate pauca loquentes, dicimus, nō omnia, quæ vult Deus ab ipſo neceſſariò volita eſſe: operatur enim omnia, iuxta D. Paulum, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.
33. Sed ridiculum, immo temerarium eſt; huius diuinæ voluntatis aliquam aſſignare cauſam. Quis enim eius conſiliarius fuit? & quid ipſo Deo maius eſſe poteſt?
34. Quam voluntatem ſemper neceſſe eſt adimpleri ſimpliciter, & abſolutè, nam in pſalmis habetur. Omnia quęcunque voluit fecit.
35. Si autem de voluntate antecedente ſermo ſit, hæc non ſemper adimpletur, nam quod antecedenter volumus, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid; ſed benè quod conſequenter.
36. Hinc deducitur diuinam voluntatem prorſus immutabilem eſſe, nam non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mentiatur dicebat Moyſes.
37. Sed ad ipſam diuinam ſcientiam reuertentes, dicimus, quòd cū ea, quæ non ſunt actu, ſint tamen in potentia ipſius Dei, hinc facilè liquet ipſa non entia ab eodem cognoſci. Vnde Paulus. Qui vocat (inquit) ea quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.
38. Sed ne hinc errandi detur occaſio; dicimus, quòd ea quæ ſunt, vel fuerunt, vel aliquādo erunt, a Deo per viſionis ſcientiam cognoſcuntur.
39. Ea autem quæ nunquam habuerunt, neque habebunt eſſe, cognoſcuntur ab ipſo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.
40. Tantaque eſt Diuinæ ſcientiæ perſpicacitas, vt etiam mala a Deo cognoſcantur; quod verbis illis Sanctus Dauid deplorabat: Delicta mea a te non ſunt abſcondita.
41. Et cùm ſingularia cognoſcere ad noſtram pertineat perfectionem, quis audebit huiuſmodi cognitionem ab ipſo Deo ſeiungere? præſertim cùm dicat ſapiens: omnes vię hominū patent oculis eius.
42. Cognoſcit infinita Deus; quamuis enim infinitorum numerorum

rum

rum nullus ſit numerus,non tamen incomprehenſibilis eſt ei, cuius ſcientiæ non eſt numerus.

43. Immo tanta eſt Diuinæ ſcientiæ perfectio,vt ea nō ſolùm Deus ſe ipſum,non entia,mala,ſingularia, & infinita cognoſcat,ſed etiam ipſa futura contingentia: Qui finxit ſigillatim corda eorum (inquit Pſalmus) qui intelligit omnia opera eorum,ſcilicet hominum; quorum nonnulla cùm ſint contingentia, vtpote libero arbitrio ſubiecta,quis ea Diuinam præterire mentem, auſit affirmare?

44. De qua cognitione loquendo, vt meliùs veritas percipi poſſit, dicimus,ipſa futura cōtingentia,prout ſunt in ſemetipſis,extra ſuas cauſas, Deoque præſentia,ab ipſo vtique cognoſci.

45. Neque hoc mirum eſſe debet; quia cum æternitas ſit (iuxta Boetium) interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, ambienſque totum tempus,& præſens,& preteritum,& futurum: Ideo omnia quæſunt,vel fuerunt,vel erunt,æternitati iam ſunt præſentia: nec implicat quòd aliquid ſit futurum in nunc temporis, & præſens in nunc Aeternitatis.

46. Conſequenter dicimus; quòd etſi ſcientia Dei ſit infallibilis, ex hoc tamen non ſequitur, futura contingentia, vt a Deo ſciuntur neceſſariò euenire: Ideo ipſa contingentia etiam vt a Deo ſcita, contingenter euenire ſuſtinemus.

47. Ex hoc elicio contra omnes perperàm de prædeſtinatione loquentes, quod etſi ipſa prædeſtinatio certiſſimá ſit, nullam tamen neceſſitatem imponit,nàm benè ſtat cum certitudine ſcientiæ diuinæ ipſa contingentia contingenter euenire.

48. Hoc vnum tandem dicimus; quòd cùm infallibilitas, & certitudo ſit perfectio Diuinæ cognitionis, non debet huiuſmodi infallibilitas circa futura contingentia deſumi,aut ex cauſis ipſorum, aut ex præſentia eorumdem in Aeternitate, ſed ex ipſamet Diuina ſcientia.

49. Abſit verò, quòd conſpecta rerum varietate, ex conſequenti quiſpiam inferat, Dei ſcientiam eſſe variabilem; ſiquidem apud Deum non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio.

CONCLVSIONES DE COELO.

QVAMVIS ita ſit nobis abſcondita cœleſtis corporis natura, vt ipſe Peripateticorum Princeps ſola negatione conditionum ſublunarium eam declarare potuerit: Attamen, cũ tanta ſit eius præſtantia, atque nobilitas, vt vel rudis, & imperfecta cognitio ipſius expetibilior ſit aliarum ignobiliorum rerũ quacũque perfecta, & exquiſita cognitione; ideo hæc pauca de ipſo corpore cœleſti in medium adducimus. Eſt igitur cœlum ipſum omnium aliorum corporum nobiliſsimum, in omnibusq. primatum certiſsimè tenens, quod & diuinum corpus appellauit Philoſophus.

2. Immo ſi vnà cum intelligẽtia accipiatur, ipſo homine nobilius videtur: ad hoc comprobandum faciunt Philoſophi, & Platonis verba multis cum locis.

3. Si verò abſque intelligentia ſumatur Cœlum, materiæ expers penitus eſt, quicquid dicant aliqui viri alioquin doctiſſimi; me ſiquidem magis mouent plurima Ariſtotelis dicta, & præcipuè nono Metaphyſicorum libro, vbi aperte dicit, omnem potentiam paſſiuam eſſe oppoſitorum; ideoque, nullam eſſe in Cœlo potentiam patiendi, niſi reſpectu motus localis.

4. Si verò accipiatur materia, non pro ea quæ ſubijcitur formæ, & ex qua fit aliquid, ſed pro ſubſtantia ipſa corporea extra animam exiſtente, & ſenſili, ſic dicere poſſumus Cœlum habere materiam; & Græci merito Cœlum vocant materiam formalem, & formã materialem.

5. Eſt leuitatis, grauitatiſque expers, propterea ſi e loco proprio depulſum fingatur, hunc nequaquam naturaliter repetet, ſed circulatio ipſi ita ineſt, vt talis eius motus poſſit tum naturalis, tum nonnaturalis dici.

6. Qui Cœli motus ita illi conuenit, vt ad illum nunquam fuerit, & nunquam futurum ſit in potentia. Recte Auerroes, Cœlum ad nihil aliud eſſe in potentia, quàm ad quietem, dixit.

7. Habet quidem intelligentiam aſſiſtentem, non informantem, vt perperã Achillinus exiſtimauit, ex qua actus mouendi ad ipſum deriuat, ad quem ſummam aptitudinem ipſum habet; vnde fit, vt ſe ipſo quoque ſit quædam quinta ſubſtãtia, quod Iamblicum non latuit. Cùm autem dicitur ipſum Cœlum animatum eſſe, non ideo

cum

cum Ioanne Grammatico,& Auicenna ſentiendum eſt, ipſum vllo modo ſentientem animam habere; apertè enim Peripateticæ doctrinæ repugnat; cum qua concordat Diuinus ille Plato in ſuo Thimæo aſſerens,Cœlum neque oculis, neque viſu, & auditu egere; ſiquidem nihil eſt quod a ſe vel cerni vel audiri debeat.

8. Longè igitur excellentiori modo habet ſuam formam, quàm caduca animalia; longeque arctiori vinculo vnum eſt, quàm compoſita ex materia & forma: Vnde in hoc ſenſu loquutus videtur Auerroes cùm dixit; quòd ex intelligentia & orbe fit magis vnum, quàm ex materia & forma inferiorum.

9. Figuram ſphæricam Cœleſte hoc corpus habere neceſſe eſt; hęc enim eſt maxime proprie,& ſubſtantiæ & naturæ prima.

10. Ideoque rectilineum eſſe impoſſibile aſſerimus: nam ſi eſſet; accideret & locum eſſe extra,& corpus,& vacuum.

11. Dicimus etiam ipſum cæleſte corpus, Diuiniq; numinis Thronum,& miniſtrum, cæleſtia munera ad hæc caduca corpora deducere; ipſa verò caduca corporea ad cæleſtia reducere; omnia nectes decertiſſime,& quā arctiſſime,vt vnus ex omnibus Mundus euadat.

12. Idque lumine,& motu agere: Calor enim ab eius Aſtris generatur, attrito aere, latione ipſorum, ex motu Orbis. Vnde in Metheoris dicebat Ariſtoteles, ſoli præcipuè tribui calorem,quòd per generationem caloris requiritur velocitas motus, & propinquitas: quæ duo ſufficienter reperiuntur in ſole.

13. Ipſiuſque Cœli pars in ſtella,maioris actionis eſt in Aerem ſibi vicinum,quàm pars in qua non eſt ſtella; quia ſtella denſior eſt pars ſui Orbis. Inſuper, etſi cœleſtia corpora in hæc inferiora continuò agant; minime tamen ab eis repatiuntur, cùm non ſit illis vna ſubiecta materia.

14. Præter lumen & motum, fruſtra ponuntur influxus; quandoquidem motus per lumen attemperatū varijs modis, pro diuerſitate aſpectuum,& proprietatum,Alterationis cauſa ſufficiens exiſtit.

15. Solis autem,& lunæ, cæterorumq; ſiderum errantium Diametri magnitudinis diuerſitas (quæ maxime apparet,cùm in Perygæo, & Apogæo ſui Orbis reperitur) optime ab Aſtrologis ſaluatur, per Orbes illos Eccentricos. & Epicicli motus.

16. In luna verò,macula quæ apparet,ex denſi ac rari, ac Diaphani differentia pendet; non autem talis macula eſt tantum apparens, quòd in luna tanquam in ſpeculo, res iſtæ ſenſibiles appareant, vt multi ex iſtimarunt: Neque hoc prouenit ex interpoſitione alicuius corporis inter noſtrum aſpectum & lunam; ſed ſola cauſa vera eſt, quam ſuperius aſſignauimus.

S. Mariæ in via

Diſputabuntur Romæ in templo [redacted],
in comitijs generalibus Seruorum, Anno 1600.
Menſe junij. Die ij. Hora 20.

Obiectis ſatisfaciet idem F. Liberius Romanus,
Aſſiſtente Reuerendiſſ. M. Aurelio
Menochio Bononienſi Doctiſſ.
eius Præceptore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.